

## XCVIII.

LALOUVÈRE A FERMAT (¹).

21 JUILLET 1658.

*Amplissimo Domino de Fermat in Suprema Curia Tolosana  
Senatori integerrimo.*

Decem nunc dies sunt (Senator integerrime) cùm primùm legi à Te mihi oblatam nobilissimi et doctissimi Anonymi typis editam Epistolam, quæ à *præstantissimis toto Orbe Geometris postulat solutionem quarundam propositionum circa cycloidem ejusque centra gravitatis*. Ego licet, meæ tenuitatis mihi probè conscius, norim quàm longo post magnos illos viros intervallo in Geometrarum qualiumcumque numero locum teneam; quia tamen quid de quæsitis illis in mentem mihi veniret promere à Te tunc jussus sum, malui temeritatis quàm obsequii Tibi non prompti præstituti nomine accusari. En igitur quas circa problemata ejusmodi meditatus sum viginti omnino propositiones. Tu quem omnes Europæ Mathematici meritò suspiciunt, si quid perperam scriptum sit, aut si quid scriptis desit, emenda vel supple, modò tamen judiciorum publicorum occupationes quibus longè utilius distineris, id patientur. Hâc emendatione vel etiam supplemento fidens noster hic libellus prodibit in vulgus intrepidè, qua propter Te hujus spei plenus adit, ab eo nempe missus qui pluribus nominibus jamdiu Tibi est

Addictus ex animo servus

ANTONIUS LALOUERA Societatis Jesu.

Tolosano in Collegio XII Kal. Aug. 1658.

(¹) Dédicace de l'opuscule : *De Cycloide Galilæi et Torricellii Propositiones viginti Autore Antonio Lalouera Societatis Jesu*, imprimé à Toulouse en 1658 (rarissime, dont un exemplaire est conservé Bibl. nat., Imprimés, Réserve V, 835 A). — Reproduite en tête du premier livre de l'Ouvrage : *Veterum Geometria promota in septem de Cycloide libros*, publié par Lalouvère en 1660.